



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Capita Pietatis Christianæ, Interrogationibus Et  
Responsionibus vsitatis in Catechetica Methodo ita  
explicata, vt breuem sed integram hypotyposin doctrinæ  
purioris complectantur**

**Ferinarius, Johannes**

**Magdeburgi**

**VD16 W 3078**

Qvintvm Capvt Catecheseos Doctrina De Salvberrima cœna Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36195**

deo meos morēs, & vitam, & vicissim Deum pro  
vobis precabor.

QVINTVM CA  
PVT CATECHESEOS  
DOCTRINA DE SALVBER  
tima cœna Christi.

Quæ sunt appellationes publici ritus  
Cœnæ Domini:

1. Iste ritus simplicissima appellatione nominatur  
Cœna Domini, 1. Cor. 11.

2. Ecclesia Græca hunc ritum appellavit λειτουργία,  
quod significat administrationem publici boni,  
quod etiam dictum est. Significat igitur hoc vocabulum  
non sacrificium, sed ministerium, quo fit distributio Sa-  
cramenti.

3. Appellatur συνέχης, à congregatione, quia  
ritus ex præcipuis finibus est, ut hæc ceremonia, sit  
ritus publicæ congregationis.

4. Nominatur ευχαριστία, quia Filius Dei vult  
propter, in usu cœnæ, accipi sua beneficia, & rursus vult  
propter gratias, de toto beneficio redemptionis, & col-  
lationis Ecclesiæ.

5. Multi ex veteribus ritum hunc nominant & γάμος  
ritus, quia iste, ut sic nominè, conuictus, est fœdus mu-  
tua dilectionis inter pios, & quia olim, simul ad cœnam  
Domini.

Domini afferebantur, panes & alie res distribuendi pauperibus, ut apparet ex historijs & ex Epistola ad Corinthios.

6. Romani peculiari nomine, appellarunt ritum hunc MISSAM. Hoc uocabulum est ambiguum originis. Aliqui deducunt ex etymologia Hebraica, in appellatione quæ est Deut. 16. Vbi Missa significat contributionem, quia uetustissima consuetudine, in publicis congressibus fiebant contributiones, pro sustentatione inopum.

Alij malunt retinere originem Latinam. Cyprianus Remissam nominat remissionem peccatorum. In missa significat remissionem. Secerdos peracta communionem, annunciat remissionem peccatorum:  $\alpha\pi\epsilon\rho\iota\varsigma\ \epsilon\sigma\omega$ , populis sit remissio. Latini dixerunt. Ite missa est, id est, sit uobis remissio, qui accipitis communionem.

Sed quia in superstitionibus barbaricis nomina sepe sunt fatalia, fortè nomen deductum est ab appellatione Idoli, quod apud Danielem nominatur Mazza. Nam congruit id certè ad nomen Mazza, quod significat panem, uel cibum. Et scriptum est in Daniele: Dum Maazim, colet auro, & argento. Hæc monent ut pij cogitent de Idolo Misse, quod colitur necesse causa, & est horribilis profanatio, & deprauiatio luberrime cœnæ Domini.

Quid est cœna Domini?  
Est communicatio corporis, & sanguinis Do-

IESU CHRISTI, sicut in uerbis Euan-  
 gelij instituta est, in qua sumptione Filius Dei, uere,  
 substantialiter adest, & testatur se applicare cre-  
 ditibus sua beneficia, & se assumpsisse humanam  
 naturam propter nos, ut nos quoq; sibi insertos fide  
 membra sua faciat, & nos ablutos esse sanguine suo:  
 simul etiam testatur se uelle in credentibus deinceps  
 esse, & se, cum sit λόγος aeterni patris, docere,  
 iustificare, & regere credentes, sicut inquit: Ma-  
 nente in me, & ego in uobis. Et sicut Hillarius in-  
 quit: Hæc sumpta, & hausta, faciunt, ut Christus  
 sit in nobis, & nos in Christo.

Quæ est simplicissima enarratio ver-  
 borum institutionis

Verba Euangelistarum, & Pauli, instituunt  
 eam communem cœnam. Ista ordinatio, est op-  
 portuna aduersus abusum de particularibus cœnis in uno loco,  
 & de priuatis Mîssis & oblationibus, qui abusus  
 Gallicus multis seculis postea natus est.

**HOC EST CORPVS MEVM**, quod  
 pro uobis datur, id est, quo ego sum uictima pro  
 genere humano. Paulus nominat κοινωvία pro cor-  
 poris Christi, ut intelligatur in usu instituto hanc  
 communionem esse pignus ueræ, admirandæ, & effica-  
 cissimæ Christi presentie, qua efficiuntur socij & mem-  
 bra corporis ipsius uere pro nobis in mortem tradi-  
 ti, & gloriose resuscitati atq; exaltati post uicto-  
 riam.

Hic est calix noui Testamenti, id est, ritus, seu pignus, & sigillum noui Testamenti, & quidem Calix, quo sumitur sanguis Christi. Testamentum enim est promissio, & ordinatio morituri. Et Zachariae 9. expresse dicitur de sanguine testamenti Messiae.

#### Certe Testamentum Christi

Est promissio gratuita remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiae, & uitae aeternae. Haec beneficia sunt res gratis donata hoc testamento, id est, promissione Euangelij propria.

#### Sed vetus Testamentum,

Est promissio Politiae, cum obligatione ad seruandam legem, per Moysen traditam, quae Politiae constituta est, ut in ea conseruaretur promissio Messiae, & ibi Messias exhiberetur, propter quem, & semper ibi aliqua electorum Ecclesia fuit.

#### Quare Nouum Testamentum,

Est promissio aeternorum bonorum, remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiae, & uitae aeternae, quae propter Messiam gratis exhibetur non propter legem, omnibus in uera poenitentia credentibus, in filium Dei mortuum & resurrexerunt, qui & intelligunt abolitum esse usum Politiae, sicut ipsam promissionem de certo beneficio Ecclesiae.

Hic ergo Calix est nouum Testamentum, & est pignus exhibitionis uerorum & aeternorum

propter sanguinem filij Dei effusum in ip-  
 sa morte, cuius in hac coena piam recordationem  
 publice priuatimq; fieri oportet. Atq; ita hic ritus  
 non est principaliter sacrificium, non est legalis ty-  
 pus, neque est inanis ceremonia, sed est certissi-  
 mum pignus, quod uerè nobis exhibeantur & di-  
 stribuantur bona legata à Filio Dei, iubente hunc  
 ritum seruari donec ipse uenerit, cum tamen no-  
 bisum sit usq; ad consummationem seculi.

Quae est declaratio propositionum  
 apud Paulum?

Benedicere, usitata phrasi scripturae, significat,  
 aut Deo gratias agere, ut cum Psalmo 34. dicitur:  
 Benedicam Domino omni tempore: Aut bona pre-  
 cari, ut Genesis 48. scriptum est: Iacob benedixit  
 filiis. Sed cum Deus benedicit simul benefacit, quia  
 dicendo efficit bona.

Calix igitur benedictionis, significat calicem  
 & gratiarum actionis, pro beneficio redemptionis,  
 & gratiarum actioni adiuncta petitionis, ut haec  
 sumptio uerè sit nobis nouicia corporis & sanguis  
 Christi, id est, salutaris ad alendam, & excitan-  
 dam fidem, & omnia dona Spiritus sancti. Ita &  
 Euangelistae usurparunt promiscue uerba, εὐλο-  
 γίας & εὐχαριστίας, quibus significatur, Do-  
 minum in hac sacra coena uelle fieri piam gratiarum  
 actionem, quae corda se uero Deo subijciant & ip-  
 sum ardentè inuocent.

Benedicere Calicī, significat recitare uerba tradita à Domino, precationem, gratiarum actionem, & hac actione hanc coenam discernere à profano cibo, qui habet usum physicum, & passivum nostrum.

Calix benedictionis, Est communicatio sanguinis Christi, eo quod illa externa & uisibili re uere sanguis Domini nobis exhibetur, in usu diuinitus instituto & ita quidem, ut uere abluamur & iustificemur sanguine filij Dei pro peccatis nostris effuso.

Panis quem frangimus, Est communicatio corporis Christi, eo quod illa externa & uisibili re uere exhibetur nobis corpus Christi, in usu diuinitus instituto, & ita quidem, ut uere efficiamur socij & membra corporis Christi pro nobis in mortem traditi & resuscitati.

#### Quis est fructus sumptionis?

Rectè dicitur, sumptionem fieri ad exultandam & confirmandam fidem, uidelicet, ut applicentur nobis beneficia Christi non ex opere operato, sed fide. Quia coena Domini, est testimonium exhibitae promissionis Euangelij, & applicata ad singulos, testificans nos abluī precioso sanguine Christi, & nos inseri sacrosancto corpori ipsius uere uolentis animas & corpora nostra iustificare ad uitam eternam.

Quæ est sententia verbo-  
rum.

Hoc facite ad mei recordationem.

Instituit Christus piam sumptionem, & in ca-  
niti fieri salutarem recordationem mortis, ac resur-  
rectionis suæ, & omnium beneficiorum suorum.

Quotuplex est igitur ea recordatio.

Duplex, Publica, & Priuata.

Recordatio publica complectitur profesio-  
nem uniuersæ doctrinæ de Filio Dei, de remisio-  
ne peccatorum, de restitutione uitæ æternæ, de ap-  
plicatione horum beneficiorum seu de fide. Deinde  
publicam gratiarum actionem, & consolationem de  
collectione gubernatione & conseruatione perpe-  
tua Ecclesie in hac uita.

Priuata recordatio, in specie seu nominatim  
sibi fide applicat beneficia Christi, testificans, &  
statuens, cum singulis nostrum Filium Dei facere  
credens, quod nos clementer recipiat, & communi-  
catione sui corporis, & sanguinis nos membra faciat  
sui corporis, abluta suo sanguine, nosq; uicissim cum  
ipso factus facere, quod ei credamus, & beneficia  
suis grati accipiamus, nec dubitemus ipsum in nobis  
efficacem esse, & nostram miseram massam sibi in-  
sertam seruare ac uiuificare uelle.

Recensentur ergo fines  
hoc ordine.

¶ 3

1. Ex.



1. Exuscitetur & confirmetur fides, cogitans de tota summa Euangelij, id est, cogitans filium Dei assumpsisse humanam naturam propter nos, ut ira eterni patris placata, nos sustentet, seruet, ac uiuificet, tanquam surculos sibi insertos, ut in nobis consociatis sibi uera societate efficiat, & in nobis similia, qualia efficit in sua massa, quam ex uirgine assumpsit.

De hac admiranda societate Domini & hominum loquuntur scriptores uetres, cum in ueteribus Coenam Domini esse Symbolum τὸ εἶδος τοῦ σώματος, & Symbolum eius coniunctionis societatis, quæ nobis est cum Christo secundam carnem, & testimonium futuræ nostræ resurrectionis, sicut inquit Cyrillus: Christum non solum per participationem in nobis esse, sed etiam naturali participatione. Alibi dicit idem Cyrillus: λόγος per corpus suum, mortalibus nostris corporibus largitur, & mortis euacuat Imperium. Item Bernardus: Quæ locutus sum uobis (inquit Dominus) Spiritus & uita sunt. Quod perinde est ac si diceret, Corpus meum quod ostenditur & datur per mundum, in cibum dabitur, ut Spiritualliter uiuificetur, & fiat singulis tutamen ac præparatio ad resurrectionem uitæ eternæ. Et nota sunt uerba Christi & Pauli: Caro mea, uerè est cibus, Sanguis meus uerè est potus. Item: Qui adhaeret Domino, unus est cum eo Spiritus.

Ad hanc cogitationem de summa doctrina, pertinet etiam dulcis illa consolatio, de duratione, & defensione seu, conseruatione Ecclesie, usq; ad resuscitationem mortuorum. Nam insignis promissio addita est ritui cenae Dominice in Paulo: Hoc facite, donec uenerit Christus. Significat mansuram esse Ecclesiam, donec Filius Dei ueniet ad manifestationem iudicium, & uisibiliter triumphans, abiectis omnibus hostibus suis in aeternos cruciatus, adducet Ecclesiam letam & glorificatam, ad aeternum patrem. Seruabit igitur interea ipse Filius Dei aliqua hospitia doctrinae, Ecclesiae, & piorum rituum, nec sinet fieri infinitam uastitatem.

2. Finis correlatiue respondens priori. In recordatione beneficij, ardeat inuocatio, & gratiarum actio, pro omnibus beneficijs Christi, pro assumptione naturae humanae, pro passione, pro redemptione, pro uiuificatione, collectione, & defensione Ecclesiae. Ideo hic ritus nominatur *exagysia*.

3. Hanc sumptionem, Filius Dei uult esse uerum publicam, & honeste congregationis. Vult Deus hanc sumptionem in publico congressu fieri, ut sciamus, Ecclesiam esse uisibilem caelum, & uelut Deum, ut sint publici congressus, in quibus sonet, & conseruetur uox ministerij Euangelici. Vult igitur singulos etiam adiuuare horum publicorum congressuum conseruationem, propter ministerium.

4. Hic usus est dulcissima *et* in qua filius Dei nobiscum facit foedus, *et* nos iucissim cum ipso. Facit etiam Ecclesia inter se mutuam foedus, *et* huius sumptione ostendit suam confessionem, *et* concordiam, sicut Paulus inquit: Unus est panis, unum corpus multi sumus.

**Refuratio abusuum, & profanationum sacrae Coenae.**

Filius Dei iam aditurus suum tristissimum exitum, *et* cum discipulis assidens ad mensam, ait: Desiderio desideravi uobiscum, manducare hoc pascha, antequam patiar. Ita singuli autem conuocati ad coenam Domini debebamus, *et* amare hanc ipsam frequentiam, *et* in hoc dulcissimo conuiuio coniungi consolatione, *et* acquiescere in Filio Dei, quia iuxta promissionem suam, uere adest his mysterijs, *et* uere exhibet se sumentibus. Discamus igitur reuerenter administrare haec mysteria, *et* sciamus Deum horribiliter irasci ijs, qui profanationes faciunt, ac uere, *et* assiduis gemitibus, a Filio Dei precamur, ut ipse nobis opem ferat, *et* liberet inuocatum ipsum, a profanis erroribus, *et* contagijs idololatratione.

Sit igitur prima admonitio de indigna manducatione.

**Digne manducat,**

Qui mortem Filij Dei cogitans, agnoscit uultum Dei aduersus sua peccata, *et* uere agit partem eius, simul agnoscens huius uictimae sacrificio plus

veresse iram Dei, & gratis remitti peccata, pro-  
pter Filium, & statuit hanc mirandam promissio-  
nis Evangelij, uerè esse nouum & aeternum Testa-  
mentum confirmatum morte Filij Dei, & hac con-  
solatione crectus, credit se certo recipi, & placere  
Deo, & hanc sumptionem intelligit esse pignus, &  
testimonium applicationis tanti beneficij diuini.

Indigne manducant,

Qui non afferunt poenitentiam & fidem ad  
hanc sumptionem, sed aut perscuerant in delictis  
contra conscientiam seu in contemptu beneficiorum  
Evangelij, aut sunt sine cognitione doctrinae funda-  
menti, aut accedunt cum dubitatione impia, uel et-  
iam cum opinione operis operati.

Dignitas autem non significat, ut Enthusiastæ  
communiſcuntur, talem perfectionem, ut in nobis  
nulla sint peccata, sed initia ueræ conuerſionis ad  
Deum, qua deponuntur peccata contra conscientiam,  
& vincitur impia dubitatio.

Addita autem est comminatio,

De poenis sequentibus abu-  
sum coenæ.

Etiam in sanctis punitur negligentia, sicut  
inquit Paulus, multos egrotare, & multos esse mor-  
tuos. Sed multo magis presentibus, & aeternis poe-  
nis opprimuntur illi, qui coenam Domini uerterunt  
in horrendum cultum idolorum. Nam sunt gradus  
profanationum. Peccant profani, qui accipiunt sa-  
cræ coenæ.

erant coenam propter consuetudinem, aut ex  
poerisi, sine cogitatione doctrinae sine fide, &  
poenitentia.

Maiores autem contumelie sunt illorum, qui  
coenam mutant in Idolum, propter quod de  
istis omnibus dicitur: Abutentes esse reos corporis  
& sanguinis Domini, id est, contumelia operari  
corpus, & sanguinem Domini, sicut latrones illi  
crucifigentes Dominum, summa contumelia afflic-  
bant ipsum.

#### Secunda admonitio, de profa- nis speculationibus.

Remouenda sunt deliria Anabaptistica,  
Enthusiastica, seu, Fanatica, qua fingunt  
actionem esse inane spectaculum, simile Tragedia  
de Hercule, aut Thesco, ubi mortuorum, & ap-  
tium sit recordatio, qui donare nobis nihil possunt  
aut hanc sumptionem tantum esse signum, cuius  
professionis, & societatis cum Ecclesia, sicut  
discernebat ciuem Romanum à Greco. Neque  
iam uerba institutionis, & ritus, transformantur  
bent in qualescunq; allegorias, quasi externa  
ptio, sit tantum ociosa, & inanis pictura meta-  
tionis Spirituales, ut contendunt Enthusiastae.

Sed nos sciamus, uiuere, & regnare Filium  
nobis presentem, ac sic adesse suo Sacramento  
& substantialiter, ut in hac sumptione necesse  
biscum coniungere, seu, nos confociare sibi

cedere, applicare, nobis sua beneficia, nos uiuifi-  
cet, & perpetuo in nobis esse efficax, ut paulo as-  
sertum est.

Tertia admonitio est, de reprahen-  
sione horribilium abusuum

Papisticorum.

Tridentina Synodus, primo stabilit commen-  
ticiam transubstantiationem, hoc est, miraculosam  
quandam conuersionem substantie panis in corpus  
Christi, quam fingit fieri per consecrationem panis,  
& uini a Sacerdote, seu Monacho.

Deinde panem consecratum iubet tanquam  
idolum reponi, & in eleuatione ac theatraica cir-  
cumgestatione proponit adorandum populo.

I. Respondeo de Transub-  
stantiatione.

Consecrare, uel benedicere, ut Paulus nomi-  
nat, significat pronunciare uerba tradita à Domi-  
no, agere gratias, precari, & tota actione diuini-  
tus instituta hanc coenam discernere ac quasi sepa-  
rare ab usu profano, uel physico, atq; ita transferre  
ad usum Spiritualem, iuxta institutionem, id est, ut in  
uero usu, habeat rationem Sacramenti, atq; ita uere  
in corpus, et sanguis Domini. Non uero significat,  
uirtute uerborum mutare substantiam panis et uini.  
Quia Christus adest suo Sacramento liberrime, tan-  
quam ritui, quem ipse liberrima uoluntate institu-  
it, non quia Sacerdos ibi faciat miraculosam mu-  
tationem.

tationem, aut quia in uerbis sit Magica quedam  
mutans res, seu, substantias Symbolorum. Nec  
diuina dicit, mutari substantias externorum Symbo-  
lorum, sed docet in illa sumptione, uere, & substan-  
tialiter adesse Filium Dei, & applicare sepe sua  
beneficia communicatione corporis & sanguinis  
sui: ut testantur uerba institutionis, & declaratio-  
nis Paulinae.

Ita etiam locuta est uetus  
Ecclesia:

Origenes nominat panem, & uinum εὐχρισ-  
τα τοῦ σώματος, καὶ αἵματος.

Irenaeus inquit, in Sacramento esse duas  
unam terrenam, alteram caelestem.

Nazianzenus panem nominat ἀντίτυπον  
μα. Item Macarius, ἀετος καὶ οἶνος ἀντίτυ-  
ποι σαρκὸς ἀντὶ καὶ αἵματος.

Theodoretus expresse ait de pane: εὐχρισ-  
τα μεταβαλῶν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῆς φύσεως  
θηκῶς.

Augustinus nominat, signum corporis, es-  
sensu quo ueteres Graeci dixerunt, εὐχρισ-  
τα ἀντίτυπον τοῦ ὄντος σώματος.

Idco Lutherus non ponit papisticam  
sionem substantiae panis, sed expresse ponit  
dochen, seu, unionem sacramentalem, eam  
repetit, ut intelligatur, in usu congruente, ad  
tionem, sumpto pane, & uino, uere sumi corp-

sumptionem Domini. Et in colloquio Ratisponensi  
 Ecclesiam pie, & constanter defensa est hæc  
 regula: Adest Christus, non propter pa-  
 nem, sed propter hominem, sicut uerba institutionis  
 dicuntur non propter panem, sed propter audi-  
 entem.

Responsio est, de adoratione panis  
 in repositione, elevatione, cir-  
 cumgestatione & ob-  
 latione.

Vera Sacramenta in Ecclesia, sunt actiones à  
 Deo institutæ, quibus est addita promissio gratiæ.

Nulla igitur creatura, potest talem actionem insti-  
 tuere, seu ordinare talem rem, ad quam fiat adora-

Et uerissima est regula, quam in colloquio Ra-  
 tisonensi ante annos 30. refutare non potuit Ecclesi-

Non habet rationem Sacramenti, extra usum insti-  
 tutum. Ut, si quis circumferret aquam Baptismi, &

non inuoluitur esse ibi Spiritum sanctum, & iube-  
 re adorationem ad illam aquam, ibi prorsus

idolatriæ cultus.

Instituit Filius Dei in coena sumptionem, quam  
 instituit eo modo, quem instituit. Ideo cum non

congruentem institutioni, in oblatione, repo-  
 sitione, elevatione, & circumgestatione, planè est

idolatriæ. Et hæc idolatria, est præcipua causa, cur  
 necessario relinquendæ, & fugiendæ sint Pontificia-

rum cons



rum congregationes, iuxta dictum: Fugite idolatram.

Neque illa theatrica pompa circumgestationis, quam recentior aetas excogitavit & usurpavit, differt ab adoratione ignis Chaldaici, aut Persarum fingebant esse Deum, & nominabant Ormazdem, est sacrum lumen, aut ab Idolo Maozim, quod locavit Antiochus, qui est typus Antichristi.

Præterea, non uere dicitur: repastio panis, etate concilij Niceni, fuisse in usu, quod tum est peritis antiquitatis, munera, que oblatione nominata sunt à populo, fuisse adducta ad mensam Domini, & post peractam cenam, reliquias oblationis fuisse in pauperes, præsertim in scholasticos. Et ne nunc quidem abusus circumgestationis sunt Ecclesie Græcæ.

Tertia responsio est, ad Argumenta, quibus Synodus Tridentina conatur tueri, mutilationem Sacramenti.

I.

Libertas concessa in Evangelio, non est euertenda.

Euangelium concedit libertatem in iudicandis.

Ergo prohibitio calicis non est ad euertendam.

Minorem probat. Quia sæpe in concilio

et rationibus Euangelicis, fit mentio solius manducationis, non uero poculi.

Respondeo. Nego Minorem. In Euangelio dicitur sumptio integri Sacramenti, sicut Dominus ait: Bibite ex hoc omnes. Et Paulus ordinans usum cœnæ, alloquitur totam Ecclesiam Corinthiorum. Nec fractio panis in Luca intelligatur de unius tantum partis usu, seu, de manducatione cœnæ, quia ista phrasia, καὶ οὐρανὸν ἐπιπέσει, significat conuiuium, et cibationem, ut in multis linguis usitatum est.

Dicitur, de manducatione carnis Christi, in 6. cap. Iohannis: loquuntur de manducatione spirituali, et de inhabitatione Christi, quæ fit in nobis per fidem. Nec tunc Dominus sanxit et instituit ritum cœnæ, Et tamen uerum est, sacram cœnam esse symbolum, et pignus illius nutritionis, consociationis, et communicationis, de qua Christus expressè conuincitur Iohannis 6. Fit autem et in hac ipsa conuincitur mentio sanguinis. Ac Dominus ideo instituit cœnam, ut sit commune factio, Redemptoris sanguinem pro nobis fusum esse in remissionem peccatorum.

2.

De æquipollentibus non est mouenda controversia.

In pane datur uerum, et integrum corpus.

Ergo etiam sanguis.

Minorem

Minorem declinat Synodus. Sub utraque species  
ut loquuntur, continetur integer Christus. Ad  
corpus, Ergo sanguis, & ut naturalis connectio  
quam uocant concomitantiam, etiam anima, & pro-  
pter unionem hypostaticam, etiam diuinitas.

Respondeo ad Minorem, ex usitata regula:  
Nulla creatura potest instituere Sacramentum, ideo  
necesse est retinere modum institutionis, traditum  
Christo, qui uoluit esse distincta Symbola corporis  
& sanguinis. Illa institutio necessario est seruan-  
da, & explodenda sunt contraria somnia, excogita-  
ta ab ociosis, & indoctis Monachis, cum imagi-  
rentur modum presentie, non Sacramentalis,  
physicum uel magicum.

3.

Ecclesia habet potestatem mutandi  
Sacramentorum.

Prohibitio calicis est sancita ab Ecclesia.

Ergo ea non est mutanda.

Minorem probat 1. Corinth. 4. Sic nos exci-  
met omnis homo, ut ministros Christi, & dispersi-  
tores mysteriorum Dei. 2. Ipse Paulus usque ad  
libertate in sacra coena: Cetera, cum uenturo,  
sponam. 3. Apostoli mutarunt formam baptiza-  
tionis, quia baptizarunt in nomine Christi.

Respondeo primum, Negandam esse  
rem, praesertim de potestate mutandi substantiam  
Sacramentorum intellectam. Nam institutio

Costo sumptionem panis, & calicis, certum est non  
posse mutari ab ulla creatura.

Ministri Ecclesiarum sunt Oeconomi. Ergo non  
sunt Domini ministerij, sed habent mandatum, ut ser-  
uent ordinem in doctrina, & usu Sacramentorum, in-  
stitutum à CHRISTO.

2. Paulus cum inquit, cætera disponam, loquitur  
de ordinatione rituum, qui seruantur in Ecclesia, sine  
mutatione institutionis filij Dei, propter bonum ordinem,  
scilicet, ut a se ipso, non loquitur de mutatione ipsius actus  
seu, institutionis quam dicit se accepisse à Domi-  
no, & quam vult seruari immutabiliter.

3. Nego Apostolos mutasse formam Baptismi, pro-  
prium à Christo. Quia phrasim, qua utitur textus in  
Actibus Apostolicis, intelligenda est de effectu, seu, effica-  
cia Baptismi scilicet, de insertione piorum, ut sint mem-  
bra Christi, Nec delet professionem articuli de tribus  
personis. Imo comprehenduntur in illa eadem phrasim  
tres personæ.

Impie igitur isti mutilationi opponamus firmam  
prohibitionem: Legitima hominum testamenta violare,  
nullum est nefarium est. Multo minus igitur mutare  
testamentum Christi. Institutus est usus integer.  
Ergo ille mutari non potest, auctoritate humana.

Deinde ad Minorem, Vniuersa Ecclesia vetus, Latina,  
& Græca, habuit usum integri Sacramenti. Ergo nulla  
potestas humana potest facere contrariam prohibiti-  
onem. Nec illi Episcopi, qui eam sanciant, & pertinacio-  
ser defendunt, sunt membra Ecclesie, sed hostes Christi.

Hh

Confesio

Concessio calicis nuper donata genti Germanica  
 à pio IIII. Pontifice, est sophisticas, & fraudulenta.  
 Mandatur ut calix istis detur, qui in alijs articulis  
 nibus assentiuntur decretis Pontificum, & qui aperte  
 fatentur usum integri Sacramenti, nec mandatum esse  
 à Christo, nec esse necessarium. He præstigia, & im-  
 pia Sophismata non decent Episcopos Ecclesie.

Adolescentes, pro confirmatione vera sententia  
 meminerint, apud vetustatem, pocula ex quibus  
 guinem Domini hauriebat populus, fuisse nominata  
 lices ministeriales, qui olim fuerunt ex materia  
 testacea, vel lignea. Constantinus vero denavit Ecclie  
 sjs ad usus sacros, vasa aurea, & argentea.

Remigius Episcopus, qui instauravit Ecclesiam  
 apud gentem Francicam in Gallia, eiusmodi calicem  
 fieri iussit, & margini tale carmen inscripsit:

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro

Iniecto æternus quem sudit vulnere Christus.

Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.

Item in patella Calicis Onychini, quem imperator  
 Henricus V. fieri curavit, Spiræ legitur hic Versus.

Cordibus hinc puris manat medicina salubris.

Quarta admonitio est, de refutatione  
 Missæ Pontificiæ.

In hac commonefactione, Primum tenendum  
 discrimen, inter Sacramenta, & sacrificia.

SACRAMENTA sunt ritus divinitus in-  
 tuti, in quibus Deus affirmat se nobis aliquid don-  
 are, testatur, credentes recipi à se, & eis applicari  
 missionem

tionem, ut de circumfione dicitur: Ego ero Deus  
vostri.

SACRIFICIA, nominantur opera quaecunq;  
Deo præcepta, quæ nos reddimus Deo, vt ostenda-  
mus nos agnoscere, hunc vere esse Deum, quem sic colimus,  
& velle eum coli, sicut docet. Vel,

Sacrificium est opus à Deo mandatum, factum  
in agnitione Mediatoris, & fide, ad hunc finem, ut  
Deo præstetur honos, id est, vt eo opere testemur, hunc  
vere esse Deum, & velle eum sic coli.

Quæ est distinctio sacrificiorum?

Incensivum vel propitiatorium, est vnicum Christi  
sacrificium, quo Christus sese offert eterno patri, &  
dimittit in sese iram, & meretur nobis sua obedientia  
reconciliationem.

Sed omnia piorum sacrificia sunt ευχαριστικά. Vt  
cibus Ioseph, & quaecunq; bona opera piorum.

Hec sunt, aut τυπικά, ut sacrificia Leuitica, aut  
veralia opera præcepta in Decalogo.

Quare necesse est taxare Missam  
Papisticam?

I.

Quia, omnis Idolatria est taxanda, fugienda, &  
abolenda.

Missæ Põtificiæ est horribilis & multiplex Idolatria,  
ergo est reprehendenda, & abolenda.

Minorem probo. Concilium Tridentinũ asseuerat,  
Missam esse sacrificiũ, non tantum ευχαριστικόν laus  
dæ, vt gratiarũ actionis, sed sacrificiũ propitiatorium,

Hh 2

quod

quod debeat offerri pro viuis, & defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus. Et multi ante hæc tempora scripserunt, fieri oblationem in Missa, pro viuis, & mortuis, & mereri eam sanctis, & alijs, remissionem peccatorum, ex opere operato. Ita manifeste statuitur, hoc opus Sacerdotis esse meritum, & precium remissionis peccatorum, & hanc ceremoniam prodesse, etiam non utentibus, mortuis, & absentibus.

Nos toto pectore affirmamus, tantum fuisse unum sacrificium propitiatorium, quo ira æterni patris, aduersus genus humanum placata est, scilicet, totam obedientiam Filij Dei, sicut expresse scriptum est: Vni sacrificio consummauit sanctos. Hoc sacrificium singulis applicatur propria fide, cum audiunt Euangelium, & utantur Sacramentis, iuxta dictum: Iustus fide sua vivit.

Sacrificia Leuitica erant typi & umbra, non erant merita remissionis peccatorum. Obedientia sanctorum est sacrificium *ἡ ἁγία ἰστορία*, & cultus Dei placens Deo propter Christum.

## 2. Argumentum.

Nihil habet rationem Sacramenti, extra scripturam, qui institutus est à Deo.

Oblatio non est instituta in verbis Evangelij, sed sumptio.

Igitur illa oblatio est impia.

Minorem probo. In verbis institutionis nulla oblatio legitur de oblatione, & alijs spectaculis, sed inquitur sumptio, & recordatio publica, & privata.

Vetus etiam Ecclesia, aliquot seculis post Apostolum

Nullum scilicet de oblatione, sed seruauit publicum ritum, in quo fiebat distributio corporis, & sanguinis Christi, ut manifestè ostendunt descriptiones Iustini, Hieronymi, Augustini, Dionysij, & aliorum.

Et quanquam etate Gregorij inoleuit opinio, de oblatione facienda pro mortuis, tamen tunc fuit multo precuudior commemoratio illa meritorum, id est, presertim, seu, votum, ut Deus illos etiam in communione Ecclesie seruaret. Et extat ipsius Gregorij scriptum, in quo reprehendit priuatas Missas.

Concilium autem Tridentinum, aperte stabilit horribilem profanationem, quæ fit in Missis priuatis sacrilegiorum, quæ tantum sunt auaritia quæstus, & manifestè affirmat, hanc oblationem Sacerdotis, esse reparationem, & applicationem sacrificij Christi, & oblationem offerendi diuersum esse, à sacrificio peracto in cruce, reliquis causis prorsus congruere.

Ita officia Mediatoris, & Sacerdotis summi, quæ sunt solius Christi, transferunt isti Arcopagite in opus sacerdotis impuri, quod non est mandatum à Christo, solus enim Christus, offert suum sacrificium patri, solus ingreditur in sanctum sanctorum, solus intelligit arcæ secretum consilium patris, solus placat iram æterni patris, solus est Mediator & perpetuò interpellat pro nobis. Applicationem autem uult fieri à sumentibus propria, & quidem in usu proprio ministerij.

De oblatione facienda pro mortuis,  
Est plana Responso: Sumptio instituta est propter misericordiam, ut illis sit exercitium fidei, & applicatio bene-

Hh 3

ficionibus.



ficiorum Mediatoris. Ergo coena Domini nihil pertinet ad mortuos, vel absentes. Et cum illa oblatio pro mortuis, sit opus toto genere diuersum ab institutione, seu cultus horreni Idoli. Et tamen in magna parte Europae, plurimum Missarum fit pro mortuis, & ista idolatria attrahuntur poenae fatales totis gentibus, & toti orbi Christiano.

Præterea vetus Ecclesia, propinqua temporibus Apostolorum, nec purgatorium, nec sacrificia pro mortuis habuit.

Plane igitur dicimus, has oblationes esse cultum idolorum, excogitatos, & cumulos insecuta sacrificiorum, & dulcedine questus. Ac ideo rejicimus idolatricas Missas, quia in his sunt impia adorations, extra & præter usum institutum, & fingitur opus non mandatum à Deo, ex opere operato esse sacrificium, præcians iram Dei, & promerens remissionem peccatorum, uiuis, & mortuis.

**Contra :**

1. Vbi est Sacerdotium, ibi etiam est sacrificium. In nouo Testamento est institutum Sacerdotium. Ergo est etiam sacrificium, scilicet Missa.

Respondeo ad Maiorem. Duplex est Sacerdotium. Ergo etiam duplex sacrificium. Aliud est Sacerdotium Leuiticum veteris testamenti, quod habuit certas ceremonias, & ceremonias institutas, ut durarent usque aduentum Messie. Aliud est Sacerdotium noui testamenti, differens à Sacerdotio Leuitico. Ideo etiam differens sacrificium, secundum discrimina sacerdotum & testamentorum: ut ostendit Epistola ad Hebræos.

In nouo testamento, est vnus summus Sacerdos  
 Christus, faciens in arcano consilio eterni patris appli-  
 cationem sui sacrificij, suæ mortis, & obedientiæ pro  
 meritis, vsq; ad consummationem Ecclesiæ. Credentes  
 autem sunt Sacerdotes, scilicet, participatione, id est, of-  
 ferunt Christo, & eterno patri sacrificia *εὐχαριστία*.  
 hoc est, fidem, inuocationem, gratiarum actionem, & iusticiam  
 bonæ conscientiæ, vel inchoatam obedientiam, per Spiritum  
 sanctum, quæ placet propter CHRISTVM.

Ministri verò Ecclesiæ, non sunt sacrificuli Leui-  
 tici, multò minus habent officia Sacerdotis summi, sed  
 habent mandatum, ut doceant Euangelium, & admis-  
 tissent Sacramenta, secundum institutionem Christi,  
 & hæc ipsorum obedientia prælucente fide est sacrifici-  
 um laudis.

## 2.

Vniuersalis Ecclesia non errat,

Græca, & Latina Ecclesia faciunt mentionem  
 oblationis.

Ergo est aliqua oblatio.

Minor ostenditur ex historijs, & ex illis oratio-  
 nibus, quæ nominantur Canones Missarum, quos Con-  
 cilium Tridentinum acerrimè propugnat.

Respondeo. Vetus interdum vitur appellatis  
 oblationibus, aut sacrificij, quia intelligit totam  
 actionem diuinitus institutam. Præterea afferebantur  
 etiam elemosinæ ad mensam Domini, quæ nominabantur  
 oblationes, inde partes quædam destinabantur ad  
 usus sacros, reliquæ erogabantur in egenos. Deinde

Hb 4 sumptis

sumptioni addebatur cōmonefactio de beneficijs Christi, & de pœnitentia, Item inuocatio, & gratiarum actio. Hæc rectè dicuntur sacrificia, & oblationes.

### CANONES

Sunt centones, qui paulatim à pluribus scriptores sunt, & sunt dissimiles Canones, apud Græcos, & Latinos. Sed tamen quidam ex Græcis Canonibus cunctius loquuntur.

Scripti sunt autem Canones ab initio, ut erant certa forma inuocationis, recitanda apud ritum, & summptionem sacræ cœnæ.

Gregorius scribit, sua etate autorem Canonum fuisse, quendam obscurum scholasticum, & ipse non magnificat Canonem: Sed inquit: Apostolos ante distributionem corporis, & sanguinis Domini, pronuntiauerunt verba tradita à Domino, & precationem Domini, & hunc morem ipse commendat. Nihil igitur ante Latinitate, consuta à recentibus autoribus, possunt peruenire sinari Missæ Pontificiæ.

3.

Necesse est in Ecclesia facere applicationem precationis Christi.

Sacerdos offerens ad aram, facit applicationem sacrificij Christi, pro tota Ecclesia.

Ergo ille mos est retinendus.

Respondeo. Maior non est vera de ceremoniarum applicatione. Deinde Minor etiam neganda est. Quia applicatio fit in vera conuersione, sua enim fides hæc ut acceditur in cogitatione promissionis Euang.

confirmatur pio usu Sacramentorum, nec fit applicatio per alienum opus Sacerdotis, iuxta dictum: Ius in fide sua uiuet.

Meminerint igitur piæ mentes, omnes eos qui uolunt esse Membra Ecclesiæ Christi, animis, oculis, & auribus oportere ab illa tristi profanatione Cere Domini, quam stabilit agmen Pontificium, Et omnes Deum toto pectore oremus, ut mundum ab ista terra Idolatria liberet, & prius communi incendio, miseram hanc machinam orbis deleat, quam nostras Ecclesias, repurgatas ab Idolo Dei Maozim, rursus illud hac impietate patiatur.

In Propheta Deus iubet Angelum percutientem, percutere his, qui gemunt propter Idola. Ita cum orbis Christianus, nunc præcipue tristissimis pœnis opprimatur, propter hos horrendos Idolorum cultus, sicut Oriens propter blasphemias excogitatas contra gloriam, & diuinitatem filij Dei, Oremus Deum, ut clementer nobis mitiget pœnas, & seruet aliquas reliquias, retinentes seruum intellectum doctrine, & seruatum usum Sacramentorum, sicut hæc ipsa Ceremonia continet dulcissimam consolationem, mansuram esse Ecclesiam in terris aliquam, usq; ad reditum Filij Dei ad iudicium, secundum uocem dulcissimæ promissionis: Hoc facite donec ueniet.

LAVDET VR DEVS.